

Beiheft

2

S 103

1227 Dez. 4.

[17 103]

Genannte vom apostol. Stuhle ernannte Richter entscheiden einen Streit des Klosters Varlar und der Wittve Elisabeth über ein Erbe in Flamsche.

In nomine Domini, amen. Wernerus decanus, Elias scholasticus, Bernardus canonicus Resensis ecclesiae, iudices a sede apostolica delegati, omnibus Christi fidelibus hoc scriptum intuentibus salutem in perpetuum. Cum causa, quae vertebatur inter ecclesiam Varlarensis ex una parte et Elisabeth viduam et Alveradem, Hartewigem et Elburgem filias eiusdem ex altera parte super domo quadam cum appendiciis eius in villa Vlamessem sita in parochia Cosvelde parvitati nostrae a sede apostolica delegata fuisset, ordine iudiciario diffinienda, nos cum debita devotione ac diligentia processimus in executione apostolici mandati; cumque a partibus coram nobis fuisset diutius litigatum, tandem post varias et longas disceptationes tum ex partium assertionibus tum ex depositionibus testium utrimque productorum plene et indubitate constitit nobis supra memoratam domum cum suis appendiciis, de qua controversia vertebatur, tam iure proprietatis quam possessionis ex antiquo pertinuisse et adhuc pertinere ad ecclesiam Varlarensis. Nos itaque communicato discretorum virorum consilio per diffinitivam sententiam saepe supramemoratam domum cum suis appendiciis adjudicavimus ecclesiae Varlariensi pleno iure tam proprietatis quam possessionis perpetuo possidendam, saepe nominatis viduae et eius filiabus super eadem perpetuum silentium imponentes. Porro tali nostrae sententiae utraque partium sine contradictione paruit. Nos quoque ad robur et firmamentum eiusdem sententiae auctoritate apostolica, qua fungebamur, innodavimus vinculo excommunicationis super nominatas Elisabeth et filias eius et haeredes earundem, si de caetero ecclesiam Varlarensis in saepe dicta domo et eius appendiciis praesumpserint molestare vel inquietare. Praeterea ut amputaremus omnem rancorem et odium, si quod inter partes occasione supradictae controversiae fuisset contractum, cum diligenti commonitione et instantia duximus ecclesiam Varlarensis, quod intuitu pietatis et nostrae petitionis dedit saepe praefatae viduae et

filiabus eius quinque marcas denariorum Coloniensis monetae. Ut igitur haec acta iudicii nostri tam posterorum quam praesentium reserventur memoriae, praesentem paginam gestae rei seriem continentem et testium subscriptione et tam ecclesiae nostrae Resensis quam nostrorum sigillorum auctoritate fecimus communiri. Testes, qui praesentes fuerunt: Thidericus scriptor, Bernardus de Esete, Augustinus, Henricus de Colonia, Thidericus de Tremonia canonici Resenses; Gregorius plebanus de Scopinge; praeterea layci Henricus Geilinc, Thitardus de Herve, Henricus de Hircken. Acta sunt haec anno ab incarnatione verbi M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXVII, pridie Nonas Decembris, indictione prima.

104